

1
6
516







QVOD MEDICVS DEBEAT ESSE ΠΟΛΥΜΑΘΗΣ.

ORATIO

Habita in Archi-Lyceo Patauino, die 3. Nouembris, 1684.

A CAROLO PATINO,

EQVITE D. MARCI, DOCT. MED. PARIS. PRIMARIO PRACTICÆ EXTR. PROFESSORE.



VENETIIS, MDCLXXXIV.

Typis Io: Francisci Valuasensis,

Superiorum permissu.

20

Illustrissimo & Excellentissimo D.

D. FRIDERICO MARCELLO,

Academiæ Patauinæ Moderatori,

CAROLVS PATINVS.




Olemnem morem dedicatorij officij, fastidiosum illum quidem sæpe sæpius, nunc verò gratissimum lubens hodie arripio, atque amplector. Hinc enim se mihi facilis offert occasio testandi, ac palam faciendi summum meum erga te obsequium, humillimam erga te gratitudinem meam. Magna tibi debeo, Vir Illustriss. & Excell. qui mihi semper fauisti; Nec mihi inglorium fuerit, debitorem esse illi viro, cuius meritis, ac consilijs multum debere se fateatur ipsa Respublica, fateatur totus orbis litterarius. Magna quidem tibi debeo, at maiora in posterum, vt spero, vt auguror, tibi debebo. Pridem est quod graue quoddam saxum voluo, pridem est quod poma capiti meo imminentia at manibus fugientia meis capto. Quis me à Sisyphi ac Tantali misera sorte liberabit? Cogitanti mihi ac circumspicienti conclamat Vates, qui vtinam vaticinetur,

TV MARCELVS ERIS.

Herculeus labor est, at dignus te tali ac tanto Heroe, cui nihil arduum est. Quòd si primariam Medicinæ dignitatem, votorum meorum fastigium, tuo iudicio consequar, tunc ego sanè vt vt grandis natu renasci mihi videbor:

Hæc æui mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Hinc porro nouam hanc vitam tuo fauore mihi concessam totumque animum meum, vt nunc istud opusculum tibi dicabo, & nominis tui gloriæ in perpetuum consecrabo. Vale.





GABRIELIS CAROLA PATINA.

Susanna Maria Jacobi Sandrarti Filia fecit.

Ad Illustrissimum & Excellentissimum D.

D. BERNARDVM MEMMO

INCLYTÆ VRBIS PATAVINÆ

PRÆTOREM.

Solutio Problematis.

AN sit utilior princeps, PIVS anne SEVERVS
Dum quæro, litem sic mea Musa secat.
Iustitia est potior virtus, Clementia cedat.
Nam nocet illa malis, sed nocet ista bonis.

GABRIELLA CAROLA PATINA,
Parisina, Academica.

AD EVMDEM.

QVis melior quam Roma PIVM, quem vnde SE- (VERVM
Quemque suo dixit nomine, scire cupis.
Laus sua Iustitiæ, at potior Clementia virtus,
Eripit illa malos, efficit ista bonos.

CAROLA CATHARINA PATINA,
Parisina, Academica.

Ad Illustrissimum & Excellentissimum D.

D. BERNARDVM MEMO

INCLYTÆ VRBIS PATAVINÆ PRÆTOREM.

Solutio Problematis.

AN fuit vtilior princeps, PIVS anne SEVERVS?
Dum quæro, litem sic mea Musa secat.

Iustitia est potior virtus, Clementia cedat,
Nam nocet illa malis, sed nocet ista bonis.

GABRIELIS CAROLA PATINA,
Parisina, Academica.

AD EVMDEM.

(VERVM
QVis melior quam Roma PIVM, quemve inde SE
Quemque suo dixit nomine, scire cupis.

Laus sua Iustitiæ, at potior Clementia virtus,
Eripit illa malos, efficit ista bonos.

CAROLA CATHARINA PATINA,
Parisina, Academica.

Illuſtriſsimi & Excellentiſsimi Viri, Illuſtriſs. & Generoſ. Proſcindice; Patres ſapientiſsimi, Auditores humaniſsimi.



Anta fuit apud priſcos Mortales artium diſciplinarumque exiſtimatio, vt quò maiorem eis autoritatem atque dignitatem vendicarent, nobiliſſimas earum ab Autorum diuinitate commendauerint. Magnum ſanè quiddam viſum eſt Antiquis, ſingula quæque inuenta aut longè preſtantiſſima ſingulis aſſignare Numinibus, rati mortalium animis nullos acriores additum iri ſtimulos, quàm ſi clariſſimis quibuſque gloriarentur inuentoribus; Nouerant Ambroſio teſte, *primum diſcendi ardorem, ipſam eſſe Magiſtri nobilitatem*. Mirum adeo nemini videri debet, ſi Veteres ab Apolline artis medendi petant originem, iam à Delio Daphnem alloquente, ſibi vindicatam, apud Ouidium, *Inuentum Medicina meum eſt*.

Nec immeritò Medicinæ dedicatorem atque propalatorem Antiqui habuerunt Apollinem, mira ſiquidem huius cum Medico affinitas: Ille enim Apollo, quem vnum & eundem eſſe cum Sole neminem fugit, ſicut calore ſuo omnia refocillat, & influxu viuifico plantis animantibuſque vitam largitur atque conſeruat, ita Medicus artis beneficio lucis huius vſuram beneualentibus tutatur, ægris alioqui morituris reſtituit. Prolixitatis odio cœteras huius affinitatis rationes omittam; Vnum illud vobis, Auditores, commemorare velim: Quemadmodum Sol non vnum terræ angulum, ſed integrum orbem, adeoque totum mundum lumine ſuo colluſtrat, *nihilque eſt*, vt ait Propheta Regius, Pſ. 20. 19. *quod abſcondatur calori eius*, ita congruum eſt vt illius cognitio qui abſoluti Medici gloriam affectat, non vnarum rerum ambitu contineatur, ſed ruptis quibus miſerè circumſcribitur a vulgo cancellis, vſquequaque propagetur; meritòque de illo dici poſſit, quod de ſectæ ſuæ coryphæo cecinerat Lucretius,

Ille omne immenſum peragrauit mente animoque.

Porrò illud eſt quod impræſentiarum demonſtrare ſatagimus, atque hac oratione euincere, teneri Medicum multiiugi rerum eruditione pollere, & vt vno vocabulo Græci dicunt appoſitiſſimè, eſſe debere contendo πολυμαθῆ.

Eò ſanè litteratorum princeps Homerus, Medici vnius incolumitatem quamplurimorum virorum ſaluti anteponendam eſſe pronuntiauit. Eatenus enim vnus multorum eſt ἀντάξιος, quatenus illorum doctrinam complecti, eamque vt ita dicam gremio colligere vnus tenetur. Per-

ſpicuum illud fiet, ſi modò ſcientiæ noſtræ quale ſit argumentum, quiſve huius ſcopus ſeriò attendamus.

Quæ in homine cognoſcendo verſatur Medicina, itidem occupatur circa ea omnia quibus eius incolumitas ſeruetur, atque amiſſa recuperetur. Quærenti quænam illa ſint quæ in hominis vſus a Natura comparata ſunt, paucis reſpondetur, Totam mundi compagem eius gratia conditam. Homini præcipuè concinnatum eſſe mundum, non modò fide compertum eſt, ſed & grauiſſimorum Philoſophorum autoritate comprobatum.

Quid plura? animal illud quem vocamus hominem, in quo intelligendo atque conſeruando, Medicus, vti dictum eſt, allaborat, cui tota propemodum famulatur Natura, mundi etiam illius abſoluta cùm ſit epitome, quæcunque per vniuerſum latiùs diffuſa cernuntur, in hoc breuiario ſtrictim collecta eluxiſſe Medico, homo nemo diffitebitur. Satis fuerit ad noſtrum propoſitum vno vocabulo eoque decantatiſſimo pronuntiare, hominem eſſe μικρόκοσμον. Hinc ampliſſimæ ſcientiæ in Medico patet neceſſitas. Quis enim collectum hunc mundum non perſpecta maioris illius natura intelligere ſe aut conſeruare poſſe confidat? Nonne illa mutuo ſecum nexu coniuncta ſunt & copulata, vt qui ad vniuerſi notitiam hoſpes erit ac peregrinus, eum in eius breuiario medendo coecutire ac palantem aberrare neceſſe ſit?

Idem ferè ſibi voluit antiquus ille Philoſophus Hippias qui hominem *μέτρον ἁπάντων rerum omnium menſuram* eſſe ſtatuit. Vnde Trochilus interrogatus quis ille eſſet qui perfecti Medici laudem mereretur, reſpondiſſe fertur Ὁ τὰ δυνατὰ καὶ τὰ μὴ δυνατὰ δυνηθάμενος διαγινώσκειν. *Is eſt qui quæ fieri poſſunt, quæve nequeunt, intellexit.*

Quid? quod nulla eſt ſcientia quæ non ſuam Medicinæ præminiſtret operam, aut non eius gratiam ambitioſis vt ita dicam obſequijs promereri contendat. Scientiarum equidem illud eſt mutuum inter ipſas officium, ea omnium inter ſe concordia atque affinitas, qua omnes in vniuerſum diſciplinæ connectuntur. Vnde non illepidè dictum eſt à Plutarcho περὶ φιλαδελφίας, illas Iouis & Mnemoſynes filias Μούσας dici quaſi ὁμοῦσας *ſimul euntes*.

Diſciplinarum illud mirabile conſortium Medicinam addiſcentibus elucet è veſtigio; Neque rem pro argumenti magnitudine, ſed quoad potero paucis exequar. Atque vt à Logica incipiam, quiſquam-ne eſt qui ſibi medendi artem perſpectam ſatis aut exploratam confidat, niſi priùs ſcientiæ illius notitia imbutus fuerit, cùm ad alias perfectè comprobandas quàm maximè neceſſaria perhibeatur? Qua ratione vnum ex alio colligatur docente Logica, quis ſine ope illius euadat in perfectum Medicum? Nonne hac potiſſimum arte & præuidentur morbi, & idonea propulſandis ægritudinibus eliguntur remedia? Hinc ferè tota pendet nobilis illa Medicinæ pars quæ de morborum ſymptomati-

bus

bus edisserit ; & periculosi illi errores quibus in hoc argumento nimis vulgò erratur, plerique omnes sunt à vero syllogismo aberrationes, quæ dicuntur σοφίσματα vel cùm à non causa pro causa quis ratiocinatur, aut ea quæ κατὰ συμβεβηκὸς & *per accidens* contingunt, ab intrinsecis & connaturalibus causis effluxisse existimantur, quæ quidem latiùs demonstrare non est huius loci.

Mathematicæ disciplinæ viro Medico non paruas afferunt vtilitates: Quæ enim in Anatome & Chirurgia tractantur de corporis humani structura ac varijs membrorum motibus, faciliùs perfectiùsque tenebuntur ab eo qui Matheseos non imperitus fuerit, iuxta illud antiquum Philosophorum adagium, Academiarum foribus inscriptum, οὐδεὶς ἀγεώμετρος εἰσίτω. Sed & cęli terræque cognitiones aliquot Medico absolutè necessariæ sunt: Climatum, regionum, tempestatumque differentias nisi nouerimus, parùm in medendo profecerimus. Quam scire iuuat cur copiosior sanguis vernali tempore sit emittendus, cur autamnali validioribus catharticis sit indulgendum. Grauiter hinc peccant qui Anglis ac Italis pari formula medentur, quique Græcos ac Germanos simili modo curare tentant, his & illis sæpè sæpius pernicioso.

Neque verò Medicinæ otiosam crediderítis Metaphysicam, quæ & de primis edisserit principijs, & ad altissimas rerum caussas assurgit. Harum enim prima principia non aliunde prima dicenda sunt, quàm propter illorum independentiam ab alijs, cœterorum dependentiam ab ipsis: Docente Tertulliano, *prima illa rerũ principia quantò magis naturalia, tantò communiora; quantò communiora, tantò vniuersaliora; quãtò vniuersaliora tantò cœteris longè priora; quantò cœteris priora, tantò diuiniora*; Qua postrema ratione, rerum altissimas causas inuestigare, cùm sit Methaphysicæ proprium, hoc quoque nomine pertinebit ad Medicinam, cuius etiam est profiteri inferiores plerósque effectus à virium supremarum arbitrio pendere, iuxta celeberrimum illud Hippocratis effatum, in lue epidemica θεῖόν τι inesse pronuntiantis.

Quid dicam de Ethica, quæ à Tullio *Scientia de moribus* appellatur? Ea profectò non modo vtilis sed summè necessaria est Medicinæ studioso, cui nempe cœteri mortales valetudinem suam adeoque salutem credendam atque committendam putant, quanta, Deus immortalis, in hoc homine probitas! Quanta religio desideratur! Eò Medicinam ipsam per se sacram esse egregiè sanè Quintilianus affirmauit. Præterea cùm ex obseruatione Galeni, quotidianaque experientia, ægritudines animi facere vt plurimùm ad languorem constet apud Medicos, facilè intelligitur quanta debeat esse necessitudo Ethicam inter & Medicinam cuius pars nobilissima curandis corporum morbis incumbit, adeoque illis quæ ab animorum ægritudinibus accedunt. Hinc magnam adeptus ést gloriam antiquus ille Medicus qui à Demetrio Syriæ Rege vocatus, vt Antigoni filij sui sensim tabescentis abditum morbum detegeret non

ei

24

ci occultum corporis inesse vitium intellexit, sed Stratonicæ Reginæ Demetrio desponsatæ amore flagrare atque macerari Antigonum deprehendit.

Physicæ porrò notitia quàm strenuè sit Medico capessenda, pluribus exponere superuacaneum est, cùm ipsa tota quanta est Medicina Theorica ab ea pendeat, ac reuera dici possit huius pars nobilissima. Arctis adeo vinculis connectuntur inuicem, vt Physicam benè callere nequeat qui sit omnino Medicinæ imperitus, aut Medicinam qui Physicæ. Et sanè Philosophorũ albo non meretur adscribi qui scientia nostra non delectatur: Vnde est quod in egregio Plutarchi libello dicto ὑγίεια παραγγέλματα doctus quidam vir nomine Moschion iure inducitur τῷ μὴ φιλιατροῦντι χαλεπαίνων φιλοσόφῳ, qui videlicet succẽset Philosopho Medicinæ incurioso.

Venio iam ad illam eruditionis partem quæ circa antiquitatem atque historiam occupata, veterum scripta, dicta, monumentaque complectitur. Hæc est illa litteratura multiplex πολυμαθείας nomine cum primis insignita, quamquidem nonnulli ignorantiæ suæ magis patrocinantes quàm veritati velificantes, audent dicere superuacaneam, ego verò Medico cùm ornando tum perficiendo summè vtilem assero & contendo.

Explodendi sanè illiberales & inhumani illi homines, qui liberalium artium & humanarum litterarum elegantiam a Medicorum consortio ablegare non erubescunt. Illos humanitatis insectatores & feritatis sectatores quis ferat? Et prætexunt quidem acre veritatis studium, sed reuera desidiæ suæ speciosum obducunt argumentum. Quasi verò ille solide rerum cognitioni valedixerit, qui ex vberrimo veterum recentiorumque penu scientias ornandas atque locupletandas curauerit. Imò sicut apes ex varijs hinc inde floribus succos suauiores melli conficiendo colligunt, ita prout loquitur Poeta Philosophus,

Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Ex antiquis nouissimisque scriptoribus, haud prætermissis rerum experimentis, Medicinam cùm suauiorem tùm pleniorem laudamus. Exauctoratur scilicet Medicina, cùm a barbarie vindicatur? Quin a Sapientibus viris Philologia dicta est *Sal omnis eruditionis*, vt intelligeretur in fœtorem abitum iri studia, nisi litterarum sale condirentur. Hoc profectò ornamentum si ab imperio disciplinarum exulauerit, nihil aliud Mineruę nostræ superfit, quàm ager incultus, sentes absque floribus, vestis laciniosa & turpis, diadema sine gemmis, cœlum sine sideribus; adeo vt illi qui studiorum amœnitatem abdicant, itidem atque alij qui amicitiam tollebant ex hac vita, Solem è cœlo, vt verbis Ciceronis vtar, eripuisse videantur.

At fortè Medicinæ studium ab illo cultu abhorret, nec sibi facilè conjungi patitur elegantioris litteraturæ consortium. Enimuero audiendum quid ea de re senserit grauissimus scriptor Plutarchus, in laudato *de salutaribus præceptis* libello: τῶν ἐλευθεριῶν τεχνῶν ἰατρικὴ τὸ μὲν γλαφυρὸν καὶ περιττὸν καὶ ἐπιτερπὲς οὐδεμιᾶς ἐνδεέστερον ἔχει. *Inter artes liberales nulla est quæ*

ele-

elegantia, ornatu atque amœnitate Medicinam superet. Sicubi sanè, quod nimium sæpè contingit, in pertractanda Medicina aliquid asperum, inconditnm, & insuaue occurrit, id omne Medicorum socordiæ nedum artis vitio imputandum est. Atque illud est segnitiæ flagitium, euius atrocitatem Plinius exequitur, *Artes*, inquit, *desidia perdit*. Næ, mihi Medicus ille frigidus & insulsus habetur qui litterarum amœnarum prorsus imperitus nihil aliud quàm purgare, secare, vrere valeret, & ad dolorem duntaxat carnificinamque natus esse videatur. Nec pudet illos eruditionis contemptores obgannire, morbos non sanari eloquentia; atqui multo minùs barbarie leniuntur ægritudines? Quin prima gratia illa est quæ debetur Medico, liberalibus studijs instructo, ægrotantis animum aptis iucundisque sermonibus sic venatur, vt medicaminibus ad quæ primùm nauseabat, eloquentia Medici captus inhiare videatur. Neque verò ita insanimus vt statuamus elegantiorum litterarum peritiam viro Medico sufficere; id solùm volumus atque contendimus, horum studiorum amœnitate, cùm omnes scientias tum præcipuè Medicinam ornari atque perfici, vt ei qui in perfectum Medicum euadere cupit, non prætermittenda sit hæc eruditio.

Enimnerò quis absque linguæ Græcæ notitia, morborum & symptomatum quæ in Medicina pertractantur, vel sola nomina intelligere valeat? Ita enim est comparatum vt artis nostrę propemodum omnia vocabula Græciæ originem debeant. Inde est profectò quod miremur tam prestantem tamque necessariam linguam vulgò neglectam iacere, & quæ Romanorum delicias olim faciebat, adeo nunc susque deque haberi, vt periculum sit ne breui perinde atque Ægyptiaca inter mortuas obsolescat, & ab hominum incuriosorum memoria obliteretur. Iam olim conquestus est Horatius quòd seriùs Græcas litteras Romanus addidicit, & *Græcis admouit acumina chartis*.

At quàm dolendum sit Græcæ linguæ studium tantopere apud Medicos frigere, vel hoc vno perspici potest, nobilissimas vtilissimasque Medicinæ assertiones, quæ hominum recentiorum inuenta perhibentur, (vt inter eas præcipuum obtinet locum sanguinis circulatio) Græcis pridem compertas fuisse, & in ipsorum scriptis studiosè enucleatis tanquam gemmas preciosissimas inueniri. Id tamen quamuis pro argumenti dignitate demonstrare haud nimis arduum foret, ita iam nobis orationis metæ imminentibus in aliud tempus remittere consultiùs videtur.

His in hunc modum hactenus demonstratis, quid superest nisi vt concludamus variam & multijugam rerum fere omnium eruditionem vno vocabulo πολυμάθειαν quam pertendimus, in Medico desiderari.

Talem porrò peritiam adeo non requirunt, vt & vituperare audeant morosi quidam Medici, praxeos imò lucri vnicè studiosi atque aucupatores. Veterator scilicet atque indignus qui eximium illum eruditionis fructum attingere nequit, arte vulpina carpit, & quod nequidem pri-

primoribus labijs degustauit, id ore canino ammordet. Res est ridicula ac nimis iocosa audire illum in alijs facetè sugillandis superbientem ac sibi ipsi abblandientem. *Calleant illi*, inquit, *plantarum vires naturamque, sed interim ad hortos montesque relegentur. Damnentur ad metalla qui scrutandis mineralium virtutibus incumbunt. Nodum in scirpo quærunt qui abditiora naturæ secreta inuestigantes, tanta cum sedulitate microcospio delectantur. Historias antiquitatesque tractent qui confabulationibus illis capiuntur. Orent in templis aut in foro qui dicendi facultate præstant. Professores sint Medicinæ qui morbos apprimè noscunt, qui causas inuestigant, qui symptomatum minutijs incumbunt, quique reconditis, vt aiunt, signis euentum morbi prænuntiant. Hæc omnia doceant, atque in orbe celebrentur eruditi Philosophi, & vt loqui amant,* πολυμαθέστατοι*, per me licet, non equidem inuideo, mihi modo præscribendi gloria vtilitasve relinquatur. Mihi soli cum ægrotantibus agere liceat; Præscriptorum iuxta ac medicamentorum fœderata penus nunquam exhaurietur*. Adde, ò scelestе, *Nec bona mihi deerit Lauerna, quæ dabit fallere, quæ noctem peccatis & fraudibus nubem obijciet.*

Siccine artem sacram exerces, Perfide, qua vt nihil est nobilius, ita nihil purum atque inuiolatum magis, esse deberet. Maleferiatis tuis probris satis perspicuè testaris te non modo Polymathię valedixisse, sed susque deque philosophiã habere religionemque Christianam quæ ab omni iniuria, calumnia, αἰσχροκερδίᾳ tantopere abhorret. Imo neque Hippocratis mores ac doctrinam imitari sustines, qui cùm per omnem honestarum artium cultum adolescentiam transegisset, & exemplo Pythagoræ, Platonis aliorumque R.P. litterariæ heroum, patria relicta, multorum prouidus vrbes & mores hominum vt inspiceret, peregrinatus esset, tandem maximo rerum vsu πολυμαθέστατος euasit.

Optimi senis probitatem summæ coniunctam elegantiorum rerum eruditioni amplissimis honoribus Athenienses decorauerunt, quam & posteri æternùm venerabuntur; & eò magis quò minùs illam imitari satagimus. Proh pudor! Referant quotquot hic visuntur ædes, palatia, thermæ, simulacra, statuæ, innumeraque. Cll. Medicorum monumenta, publico priuatoque decori sacra, quid de Conditorum suorum gloria decantent? Loquere, ò alma ciuitas Patauina, cuius splendorem per totum orbem terrarum ampliauerunt Medici? Æquo ne animo elegantiores litteras sperni vlteriùs perferes? Et Tu Ser. Respublica, Musarum vindex, quibus oculis hoc dedecus intueris? Sed meum non est vestram perscrutari mentem. Ad Te redeo, qui πολυμάθειαν in Medico amoliendam statuis: Muta si sapis consilium, & si solis ægrotantibus visitandis incumbis, saltem amænarum Musarum cultores noli insanis lacessere maledictis. Imò vigeat ac floreat πολυμάθεια, quæ vt Patauinæ ciuitati huicque archilyceo pristinum decus, sic arti nostræ egregium ornamentum, & Medicis gloriæ apicem reddere atque instaurare poterit. Dixi.